Ego Theodericus de lapide Archidiaconus tituli sancti Luberti in Dietkirchen in ecclesia Treveren. Notum facio universis. Et
Archidiaconatum meum predictum et omnem eiusdem Archidiaconatus Iurisdictionem una cum universis suis Iuribus et pertinentiis
a Reverendissimo in Christo patre et domino domino Johanne Archiepiscopo Treverensi et principe Electore domino meo graciosissimo ad cuius
collationem seu provisionem ipse Archidiaconatus meus pertinet pleno iure recepi ac me recepisse recognosco per presentes. Atque in
huiusmodi promotione mea cum dicto domino meo domino Archiepiscopo infrascriptum obediencie et fidelitatis prestiti iuramentum cuius tenor
sequitur in hec verba. Ego Theodericus de lapide Canonicus et Archidiaconus tituli sancti Luberti in Dietkirche in ecclesia Tre=
verensi Iuro polliceor et promitto quod ab hac hora inantea fidelis ero Reverendissimo in Christo patri et domino domino Johanni Archiepiscopo
Treverensi eiusque successoribus et ecclesie Treverensi ipsorumque personas res bona Iura statum et honores presentes et futuros fideliter
promovebo et pro posse defendam periculum sive dampnum rerum seu personarum ipsorum non tractabo nec tractari procurabo verbo vel facto
nec tractantibus dabo consilium auxilium vel favorem. Et si quempiam aliquid horum tractare vel procurare sensero quantocius potero
eis manifestabo Consilia et secreta eorum michi credita fideliter apud me retinebo et ea nulli ad eorum dampnum periculum vel contu=
meliam pandam. Archidiaconatum meum predictum et ipsius Iura proventus et libertates fideliter manutenebo et deperdita ex
hiis pro posse recuperabo nec de hiis aliquid alienabo vendam inpignorabo in feodum vel emphiteosim concedam sine prefati
domini mei Archiepiscopi licencia et consensu expressis. Clerum michi subiectum in honoribus et Iuribus suis debitis fideliter conservabo
iuxta posse nec eos artabo aut artari permittam ultra id quod per ipsos erga suos Archidiaconos predecessores meos abolim fieri
est consuetum Prefatoque domino meo Archiepiscopo eiusque successoribus serviam et obediam in omnibus licitis et honestis. Contra premissa
aut aliquod eorum non impetrabo relaxationem dispensationem seu commutationem a Sanctissimo domino meo summo pontifice seu
eius successoribus generalibus conciliis eorum legatis seu alia quacumque persona quacumque etiam prefulgeat dignitate nec utar
impetratis vel impetrandis etiam si motu proprio fuerit concessa Sic me deus adiuvet et hec sancta dei evangelia. In cuius
rei testimonium ego Theodericus de lapide supradictus has litteras Sigilli mei appensione munivi. Datum feria secunda post
festum beati Bartholomei apostoli Anno domini millesimoquadringentesimo Septuagesimo Sexto

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 6

Archidiaconus D. de Lapide

Juramentum Theod. de Lapide Archid. S. Lubentij in Dietkirchen

N 2.

1476 2 p' Barthol

Juramentum D. Theodorici de Lapide
Archidiaconi tit. S. Lubentij
in Dietkirchen
Em^mo Trevir. factum.
Anno 1476

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 6